

nal. Rom. sub hoc anno) I. Aruntium Stellam igitur a. 54 p. C. natum et carmen nostrum a. 90. p. C. conditum esse consuetarium est.

Ifeldae.

C. Volckmar.

### 13. Emendata in Taciti Annalibus et Historiis.

*Annalium* lib. I 51 *excivit ea caedes Bructeros Tubantes Usipetes; saltusque per quos exercitui regressus, insedere. quod gnarum duci incessitque itineri et proelio. pars equitum et auxiliariae cohortes ducebant, mox prima legio et mediis impedimentis sinistrum latus unetvicesimani dextrum quintani clausere. vicesima legio terga firmavit; post ceteri sociorum.*

Vitium sermonis *incessitque itineri et proelio* non debet tam patienter ferri quam lucusque factum est. Neque enim hoc latinum est *proelio incedere*; et ut dici posset: esset id *in ipso proelio versari, per proelium incedere*. At nostro loco describitur ordo agminis, quo ordine exercitus Germanici ad hostem perrexerit. Igitur hoc debet dici, *quomodo incesserit agmen*. Ipse Tacitus lib. II 16 *noster exercitus sic incessit: auxiliares Germanique in fronte; post quos pedites sagittarii . . . intentus paratusque miles, ut ordo agminis in aciem adsisteret* (h. e. *incessit agmine quadrato* quod dicitur, *viae pariter ac pugnae composito*). Similiter II 79 *ducitque validam manum et proelio paratam*; XIII 39 *hostem vagum neque paci aut proelio paratum*; ut et alii: Curtius III 8 *itineri simul paratus et proelio*. (Livius XXXIII 39 *aptiorque itineri quam pugnae*). Illud ipsum vocabulum hic quoque credendus est posuisse scriptor; cuius quidem vestigia manifesta in ipso exstant libro manuscripto. Nam (hoc alterum est) quorsum istuc *pars equitum*? nec enim de altera parte, quo loco fuerit collocata in agmine, quidquam traditur. Quare aut pudendae, ut quae maxime, socordiae accusandus erit scriptor, aut (quia hoc nemo sustinebit) scribendum (reposito pro *pars* illo, quod significavi, *paratus*; scribebatur autem ita: *parat*;) *incessitque itineri et proelio paratus. equites et auxiliariae coh. sq.* Idem eius exercitus agmen, quem Cerealis adversus rebellantes Civilis ductu Batavos Germanosque direxit (Hist. V 16): *postera luce Cerealis equite et auxiliariis cohortibus frontem explet; in secunda acie legiones locatae*. Etenim videtur haec solennis quodammodo fuisse Romanis ducibus apud illas gentes agminis quadrati instruendi ratio. Sed nostro loco, ubi semel v. *paratus* abiit in *pars*, continuo quae sequebatur vox huic accommodata infuscavit scriptoris orationem et rem ipsam, quam narraverat, obscuravit.

II 69 *at Germanicus Aegypto remeans cuncta, quae apud legiones aut urbes iusserat, abolita vel in contrarium versa cognoscit, hinc*